

IV. Personarum Trinitas exauditur, quamprimum à non occupato Apostoli verba audiuntur, I. Joh. V. 7.

V. Personarum Trinitatem crediderunt Patres Anteniceni, quamquam in exprimendis personarum differentiis solidâ verborum sanitate non semper fuerint usi.

VI. Frustra illa in DEO Trinitas in gentilium scriptis quæritur. Rectè Jac. Thomafius: *melius de fide sacrâ merentur, qui discordiam profanæ Philosophiæ cum Christianâ intercedentem fideliter detegunt, quam qui tenebras inter & lucem paciscuntur.*

VII. Argumenta, quæ ex ratione pro probando Trinitatis mysterio adducuntur, planè contrarium evincunt.

VIII. Si Divinitas angeli in V. T. apparentis per argumenta, ex nomine & proprietatibus DEI desumpta & angelo in textu tributa, non evincitur, nulla in N. T. supererunt pro Divinitate Christi argumenta.

IX. Spiritus S. à Patre Filioque procedit. Joh. XV. 26.

X. Generationem Filii DEI impropriam esse, longè periculosissimè ab H. A. Roëllio dicitur, contra Joh. I. 18.

XI. Qui in operibus ad extra præter differentiam ordinis quamcunque operationis inæqualitatem respectu Divinarum personarum asserunt, Divinæ essentiæ unitatem lædunt. Joh. V. 17. 19.

XII. Creatio, Redemptio, Sanctificatio, dum appropriari Divinis personis dicuntur, ratio appropriationis non potest quæri, nisi in similitudine ordinis operum cum ordine personarum.

Diff. IX.

De

Creatione.

I.

Qui mundo æternitatem adscribunt, vel absolutè, ut Spinoza cum Atheis & quibusdam è Reformatis recentioribus, vel secundum quid, ut Burnetius, gentiles nœnias Divinæ revelationi præponunt.

II. Indo-